

TRACTATUS QUINTUS

DE

DIVINA GRATIA,
DISPUTATIO PRIMA.

PRÆLECTIO PRIMA.

Divisio Gratia in gratum facientem, & gratis datam exponitur primo, atque explicatur: tunc secundum generis Gratias novem esse; quarum alias per modum Habitus permanentis, alias per modum vialis coruscationis a Deo concedi, propugnatur: cujus occasione de Apostolis, variis Linguis loquentibus, differitur.



Diximus ante serias Saturnales, & quidem cumulate satis, atque abunde, de Originali Peccato, quo humana Natura ex culpa primi Parentis vitata, corruptaque fuit. Reliquum modo est, ut Magistri Sententiarum, cujus nobis interpretatio demandata est, sententiam docendi methodum, de Divina Gratia, qua sola potest vitata Natura restaurari, Disputationem instituiamus.

Ut porro sub ipsum statim initium facile intelligat studiosa Juyventus, qua de re nobis futura sit Disputatio; neve accipiri illo variisque sensibus obnoxio Gratia vocabulo deludatur, illud observet oportet, Amorem Divinum, quo Deus ex æternitate Homines diligit, & ad supernam Beatitudinem ordinat, Gratia quoque nomine Sacris in Litteris insigniri. Hinc ad Rom. cap. 4. & 11. Fides & Prædestinatio præpositum Gratia, & electio Gratia nuncupatur.

Verum de Gratia in hunc sensum accepta non est nobis in præsentia disputatio; sed de Gratia creata, temporali, accidentaria; quo nomine Dei Dona intelligimus, quæ nobis ab Eo ad finem supernæ Beatitudinis obtinendum in tempore conceduntur.

Gratia tamen hoc sensu accepta, de qua modo dicturi sumus, duplicis generis esse dicitur; alia Hominem Deo gratum faciens; alia gratis Homini data. Quam duplicem appellationem exponere, atque enucleare necesse est; ne ea verborum ambiguitate aliqui deludantur; uti certe delulos video Theologos aliquos magni etiam nominis, primique sobelli.

Gratia igitur Hominem gratum faciens illa est, quæ per se primo datur, ut ille ipse, qui recipit, Deo gratus efficiatur; quomodocumque res ipsa contingat: hoc est; seu Gratia illa forma ipsa seu fructu, seu late sit, qua fit aliquis vere ac proprie Deo gratus, ut est Gratia sanctificans habitualis; seu mera sit præparatio, dispositio, motio, excitatio, ut quis Deo gratus evadat; ut sunt Gratia omnes mere actuales, excitantes, prævenientes: seu demum consummatio Gratia sit, perfectio, aut etiam qualescumque augmentum.

Gratia vero gratis data, quæ sub altero divisionis membro collocatur, non ea profecto est, quam aliqui prima fronte insipienter existimant: quæ scilicet gratis detur sine meritis: hoc etenim

pacto quæcumque Gratia gratis est; sed Gratia gratis illa dicitur, quæ non confertur Homini ad sui profectum, sed ut opera sua ad Aliorum salutem cooperetur.

In explicanda qua late patet Gratia gratum faciente seu actuali, seu habituali tota ferme occupatur suscepta præfens Theologica Disputatio. De Gratia gratis data perpauci Theologi disputant. Quapropter, ut ab eo, quod minimum est, expellamus nos quantocius, quo subinde liceat in eo, quod est præcipuum, diutius immorari, de Gratia gratis data primum dicemus, in reliquis de Gratia gratum faciente prolixè disputaturi.

Ad examen itaque veniat, quæ prima solet a Theologis agitari questio celeberrima: quot sint Gratia gratis data?

Gratia illa novem numerantur ab Apostolo Epist. I. ad Corinth. cap. 12. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientia, alii autem sermo scientia secundum eundem Spiritum: aliter fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum; quibus instructi esse debent Ministri Evangelici. Divisionem hanc peremptoria ratione 1. 2. quest. III. a. 4. D. Thomas hoc ratiocinio demonstrat: ut quis digne operetur in Ministerio Apostolico, tria maxime desiderantur: Primo, ut habeat plenam notitiam Veritatum; secundo, ut eas sciat congruenter proponere: tertio, ut eas possit prodigiis, atque Miraculis confirmare. Ut ergo notitiam Veritatum habere possit; Sapientia, Scientia, & Fides desiderantur. Ut eas prædicet, duo dantur; Genera Linguarum, & Interpretatio Sermonum, ut sciat, & quo ad idioma, & quo ad sensum proponere. Ut tandem confirmare possit, quatuor requiruntur, quibus prober, se Dei nomine loqui; & hoc ut faciat, necessum est, ut nomine Dei præstare possit, quæ solius Dei sunt propria; & ipse per Eum noscat, quæ solus Deus noscere per se potest. Ut primum faciat, duo necessaria sunt. Gratia sanitatum, & Operatio Virtutum, per quas facere potest, quæ solus Deus facit, ut ex hoc probare queat, se Dei nomine prædicare Homini-bus. Ut autem alterum præstet, alia duo desiderantur; nempe Prophetia, & Discretio spirituum, per quas internas Hominum cogitationes, & Animorum affectus rimari valeat.

Mirum est, fuisse Theologos quosdam recentiores, inter quos Vasquez, Suarez, & Bellarminus, qui eam Apostoli Divisionem Gratiarum gratis datarum judicaverint mutilam; contenderentque, præter novem illas, numerari etiam debere Characterem Sacerdotalem, & Ecclesiasticam Jurisdictionem; non bene advertentes Characterem illum & Ecclesiæ Jurisdictionem ad Gratias gratis datas minime pertinere, sed ad Ministraciones; quas Apostolus ipse a Gratias gratis datis aperte distinguit. Postquam enim Gratias eas gratis enumeravit, subdit Ministracionum genera inquirens:

Quos-

Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes; exinde Gratias curacionum, Opiulationes, Gubernationes, Genera linguarum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? & cæc. Et sane distinxit, Apostolum Ministracionem a Gratias gratis datis perspicuum est ex vers. 5. & 6. ejusdem Capitis; ubi legitur: Divisionem vero Gratiarum sunt: idem autem Spiritus. Et Divisiones Ministracionum sunt: idem autem Dominus. Et Divisiones Operationum sunt: idem vero Deus, qui operatur omnia in Omnibus. Sicut itaque distinguit Apostolus Operationes a Gratias, atque Ministracionibus, ita Ministraciones a Gratias ipsis fecerunt.

Discrimen porro hoc inter Gratias gratis datas, atque Ministraciones; quod primæ significent, ac respiciant actum enunciationis Veritatum; secundæ principium, & auctoritatem designent; quorum primum sinit in Characterem, alterum in Jurisdictionem.

Sunt & alii, qui dicunt, Scientiam, & Sapientiam connumerari inter Virtutes intellectuales; Fidem vero inter Theologicas. At repono ego, dupliciter spectari eas posse: vel enim sunt ad profectum suscipiendum, vel ad aliorum utilitatem: Ut intellectuales, Hominum Mentes illustrant: similiter Fides, ut Theologica, Mentem Hominum imbuunt veritatibus Fidei: Scientia vero, Sapientia, & Fides, quatenus ad aliorum salutem pertinent, Gratias gratis datæ dicuntur. Unum tamen observare operæ pretium est; quod quia Deus Opt. Max. ad Hominum conversionem bonis, & malis Ministris uti potest; ita Gratia gratis datæ ab Eo & bonis, & malis Homini-bus conceduntur; & cui tandem Ipse vult. Hinc legitur, Balaamum, & Caipham, homines scelestissimos prophetaisse.

Unum est, quod huic obijci posset: videlicet quod in Sanctiorum Apotheosi Ecclesiæ Gratias gratis datas, tanquam argumenta Sanctitatis, agnoscat: ex quo colligit fortasse quispiam, Gratias gratis datas bonis, & malis Homini-bus nequaquam a Deo concedi. Huic expediendæ difficultati Responso in promptu est. In canonizando, ut dicitur, utitur Ecclesiæ & rationibus demonstrantibus, & rationibus etiam, & argumentis probabilibus. Porro ex his Gratias non sumit Ecclesiæ, nisi argumenta probabilia: quin si cætera Sanctitatis indicia & probationes deficerent, ad Sanctificationem Ecclesiæ minime deveniret. Stat itaque certum, indubitatumque, Gratias gratis datas tribui Omnibus a Deo posse, bonis nimirum, & malis, quibus Ipse voluerit. Altera longe gravior Difficultas superest hoc de Argumento eligenda: Num scilicet Gratia gratis data a Deo concedantur per modum Habitus permanentis; an potius vialis cujusdam coruscationis; seu an quibus dantur, taliter dentur, ut iis quovis tempore pro libito uti possint; an vero ex occasione hic & nunc infundantur ad aliquid peragendum; quo peccato cessent omnino, atque evanescant.

Quæ quidem Questio ejusmodi est, ut & curiositatem vestram abunde explere, & industriam nostram minus utique exercere valeat. Plana enim res est, quæ Factis potissimum comprobatur, nec iis involvitur Difficultatibus, quæ solutione sinit difficillimæ, ut in aliis Gratia Questionibus plurimum contigit. Quod ut percipiat studiosa Juyventus, revocet in memoriam oportet, quod ex Apostolo Paulo ante proferabamus, Epist. I. ad Corinth. cap. 12. novem videlicet esse Gratias gratis datas, quas iterum recensere ne pigeat: Alii quidem, inquit, datur Sermo Sapientia: alii autem Sermo Scientia secundum eundem Spiritum: aliter Fi-

des in eodem Spiritu: alii gratia Sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio Sermonum: De tribus primis; nimirum Scientia, Sapientia, & Fide, nulla sibi forbitur dubitatio, an hæc sint per modum Habitus permanentis: nam fatentur ferme Omnes, eas esse Habitus Menti infusos. De aliis itaque tribus Controversia est; nempe de Prophetia, de Gratia patrandi miracula, & de Facultate loquendi variis Linguis; quibus tres alia accedunt per sese: an videlicet istæ sint per modum Habitus permanentis vel vialis coruscationis? Dico igitur, Prophetiam non fuisse per modum Habitus permanentis, neque in maximis Prophetis; sed per modum duntaxat vialis cujusdam coruscationis, certique in occasione eam habuisse. Patet hoc petitis a Scriptura Momentis. Propheta Nathan eam certe non habuit per modum Habitus permanentis; nam hic aliquo casu, quo prophetare putabar, falsum prænuuntiavit: E. G. dum interrogatus a Davide, quidnam fabricaturus esset Templum, ita respondit, ac si ille esset fabricaturus, Lib. 2. Reg. cap. 7. Dixit (David) ad Nathan Prophetam: Videsne quod ego habitem in Domo Cedrina, & Aza Dei postea sit in medio pallium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod est in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum est: Scilicet, vade, fac Templum. Ubi certe falsum prænuuntiavit. Eadem siquidem nocte vocatus Nathan a Deo iustus est retractare, quæ dixerat, verumque prædicere: Vade, & loquere ad Seruum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu edificabis mihi Domum ad habitandum? ... Cumque completi fuerint dies tui ... suscitabo semen tuum post te ... Ipse edificabit Domum nomini meo.

Patet idipsum etiam Exemplo Elisei Lib. 4. Reg. cap. 3. Rogatus hic, ut futurum aliquid propheteret, dixit Ille, adduci ad se Citaredum, qui scilicet armonia sua Spiritum ejus in eccliam raperet, & hoc pacto propheteret: unde liquet, Gratias gratis datas Prophetis fuisse a Deo concessas non per modum Habitus permanentis, sed per modum vialis cujusdam coruscationis.

Hoc ipsum confirmatur ex eodem Lib. cap. 4. de ipso Eliseo, qui de amaritudine Sunamitidis, cujus Filius obijerat, aperte dixit: Anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. Imo David ipse nesciebat, quid Saul esset de se ipso responsum ad Jonatham, Lib. 1. Reg. cap. 20. Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi Pater tuus dux de me? Alia multa proferri possent Prophetarum Exempla, qui de futuris interrogati, se ignorare testati sunt.

De altera etiam Gratia oritur hic difficultas: num potestas patrandi Miracula fuerit in Prophetis per modum Habitus permanentis, vel per modum vialis cujusdam coruscationis; adeo ut quandocumque, & ubicumque vellent Miracula perpetrarent? De qua etiam pari ratione pronuntio, facultatem patrandi Miracula non fuisse in Prophetis per modum Habitus permanentis. Patet hoc Isaia Prophetæ Exemplo; qui certe hæc donatus fuit Gratia ad sanitatem aliis restituendam: cum enim ad Ezechiam Regem ad mortem aggratantem profectus esset, qui certe rogatum ab Eo fuisse, ut sanitatem redderet, putandum est, aperte significavit, id præstare non esse in potestate sua, inquirens: Dispone Domui tuæ, quia morioris tu, & non vires: Lib. 4. Reg. cap. 20.

Constat idipsum etiam variis Sanctiorum novi Testamenti Exemplis: in D. Bernardo, cui fanandi Gratia concessa erat; nec tamen poterat semper ægrotis sanitatem restituere. Quintimo fertur in ejus Vita, quod cum paraturus esset Mira-

Miracula, explorabat, an sentiret spirituales quamdam in præcordiis suavitate; & cum eam minime perferiret, noscebat, Deum nolle eidem Gratiâ ea in occasione impertiri.

Habemus etiam exemplum in S. Vincentio Ferrerio; qui Miracula non patrabat, nisi prius a Præposito suo licentiam obtinisset. Ex quibus compertissimum sit, Gratiâ huiusmodi gratis datas nequaquam a Deo concedi per modum habitus permanentis.

De tertia Gratiâ, nimirum de facultate loquendi, gravior oritur difficultas: an scilicet Apostoli, qui Gratiâ Linguarum die Pentecostes prodigioso illo Spiritus Sancti visibili illo lapsu acceperunt, ita eandem acceperint, ut indefinenter in iis perduraverit, ita sane, ut quancumque vellet, quo liberet, idiomate loqui possent?

Contendunt bene Multi, Gratiâ hanc Apostolos non habuisse per modum habitus permanentis. Id ut evincant, afferunt duorum Apostolorum Exempla, qui primi in ordine Apostoli erant; Petri nimirum, & Pauli. Utebantur Hi, ajunt, Interpretibus, quibus certe haud usi fuissent, si per se ipsos id præstare quivissent. Hoc potero perspicuum esse in Petro, qui D. Marcum Interpretem habuit; quo Antiochæ Ecclesiæ Episcopo creato, alio utebatur Interprete nomine Glaucia. Paulus vero habuit Titum Interpretem; quin, & dum esset Troade, Concionem habere haud potuit, quod Interprete suo Tito careret, ut ipsemet testatur Apostolus in sua Epist. 2. ad Corinth. cap. 2. Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem Spiritui meo, eo quod non invenirem Titum fratrem meum; sed valens faciens eis, profectus sum in Macedoniam. Quæ verba sic intelligit D. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam quest. 11. ut Apostolo ingentis doloris causa fuerit, quod Tito Interprete destitutus, Troade pro concione dicere non potuerit: Quia prædicationi suæ sustulam, organumque, per quod Christum caneret, non invenerat.

Observant hic Patres idcirco Epistolas D. Pauli Stylo inter se, & Charactere discrepare, & alias esse aliis elegantiores, quia pro rerum necessitate diversis interpretibus in iis conscribendis usus esset, quin imo observant Epistolam ad Hebræos aliis Græco idiomate exaratis esse orationem, atque elegantiorē, quia eam Hebraico idiomate scripsit, & natus erat hebræus: unde ex his colligitur, non habuisse Apostolos loquendi facultatem per modum habitus permanentis.

Quia tamen Apostolos Donum linguarum instar habitus permanentis obtinuisse, communiter existimatur, videndum est nobis, quid sibi vellent Patres illi, qui dicunt Petrum, & Paulum usos Interpretibus fuisse. Observare igitur opere premium est, Interpretes alios esse idiomatis, alios sententiarum, atque doctrinæ. Primi illi sunt, qui quod uno idiomate scriptum est, in aliud vertunt: Secundi sunt ii, qui quod subobscurum, & involute scriptum est, clarius exponunt. Ad rem itaque veniamus. Petrus, & Paulus doctrinæ habuerunt Interpretes; ita ut, quæ Paulus sermonis profunditate erudibat, isti plano sermone differrent. Contingebat ergo, ut Apostoli rapti astita Spiritus S., dum prædicabant Evangelium, plerumque alta, & obscura Mytheria erudirent: proinde accedebant Interpretes, qui ea planius exponebant; facillique, atque ad captum simplicium accommodato sermone reddebant.

Alterum est, quod Alii quaerere solent: nam Apostoli omnium Nationum Linguis, an propria dumtaxat Lingua Syro-hebræa loquerentur.

Ad cuius resolutionem notandum venit, donum

Linguarum fuisse Miraculum quoddam, quod non adimplebatur in voce loquentium, sed in auribus audientium. Patet id in Actibus Apostolorum cap. 2. Cæperunt loqui variis Linguis, pro ut Spiritus S. dabat eloqui illis. Contingebat enim, Apostolos loquendo uno idiomate ab omnibus esse intellectos: quæ de causa in Actibus ipsis legitur eodem capite diversarum Nationum Populos inelamasse: Quomodo nos audivimus unusquisque Linguam nostram in qua nati sumus? Et infra: Audivimus eos loquentes nostris Linguis magna Dei. Quasi id audirent illi tantum; non item ipsimet Apostoli loquerentur. Petrus itaque dum primo Concione habuit, in qua presentes ei fuerunt ex omni Gente Auditores, ab omnibus intelligebatur; quantumvis Petrus non posset omnibus idiomatibus uno eodemque tempore loqui: id enim miraculose contigit: quod etiam contigisse legitur postremis hisce temporibus in Viris nonnullis Apostolicis, Vincentio Ferrerio, Ludovico Berrando, & Francisco Xaverio, ut patria quique Lingua locuti a dissonis Gentibus intelligerentur.

Ego tamen, quantum capio, quantum sapio, pronunciam, utroque modo Apostolos Linguarum dono fuisse præditos; nimirum & ut patria Lingua loquentes a diversarum Nationum Homines intelligerentur; & ut re vera Nationum omnium propriis idiomatibus uti possent, si vellet. Quum multitudinē ex pluribus constitat Nationibus sermonem habebant, primo Privilegio Eos uti, necessum erat, ut a singulis eodem tempore intelligi possent: quum vero, uni vel alteri singulariter loqui contingebat, propria Personæ illius Lingua uti poterant, si forte haberet. Hoc enim Scripturæ Textui, qui variis Eos Linguis loquutos expresse asserit, congruere magis videtur: ac præterea, quod aliis pluribus sanctis Viris non semel concessum legitur in Historiis, id Apostolis denegare, salva Eorum præminencia, & dignitate, non possumus.

Hæc de Gratiâ gratis datis dicta sufficiant. Nunc postulat Officii ratio, ut de Gratiâ gratum faciente pauca dicamus: quod in sequenti Deo dante præstabitur.

PRÆLECTIO II.

Gratiâ gratum facientem non esse externum Dei favorem, sed Donum internum Animæ a Deo collatum, eique per modum habitus inhaerens, & a Charitate distinctum, propugnatur.

DE Gratiâ gratis datis in antehabita Prælectione fufe diximus: reliquum modo est, ut ad alteram speciem, nempe ad Gratiâ gratum facientem, animum convertamus. In hoc porro Argumenti genere tria inter cætera solent a Theologis investigari: Primum, an hæc Gratiâ gratum faciens sit Donum aliquod Animæ intrinsecum, a Deo collatum; an potius externus aliquis favor, quo Deus Homines afficit? Secundum, quid sit istud Donum in Anima Justæ? Tertium demum, an Donum istud distinguatur a Charitate? Triâ hæc, Viri Theologi, hodiernæ Exercitationis materiam ministrabant, quibus feliciter expeditis ad graviora, quæ Confessum nostrum plus deceant, properabimus. Ad primum itaque accedamus.

Calvinus, atque Lutherus, cum quibus in primo proposito Capite Controversia est, censuerunt, Gratiâ hanc non nisi externum esse favorem Animæ a Deo collatum: quod ut ostenderent, Momenta tria proferebant. Primum est, quod idem censendum putabant de Amore Dei erga nos, ac de Hominum amore erga se invicem. Homines porro

porro dum sese amant, nil plane producant in Objectis a se dilectis: neque enim dum Petrus Paulum amat, aliquid in Paulo intrinsecum ponit. Hoc idem contingere in Dei amore, quem Gratiâ appellamus, effutiebant.

Momentum alterum, quo turpiter lusi sunt, ex Prædestinatione repetebant. Prædestinatio, aiebant, est actus amoris Dei: unde Sacris in Litteris sæpenumero dilectionis nomine significatur. Porro Prædestinatio non est aliquid Animæ intrinsecum, cum sit actus Voluntatis Divinæ æternus, quo Homines eliguntur ad gloriam, antequam sint.

Tertio asserbant, idem prorsus iudicium fieri debere de amore Dei, ac de odio Dei, cum Contrarium eadem sit ratio: ut vero odium Dei nihil intrinsecum ponit in Reprobis: non enim eam ponit malitiam, propter quam Deus odio illos habet. En quæ fuerit Pseudo Reformatorum eorum Sententia, quibusque fundamentis innixa.

At Synodus Tridentina. cui specialis cura demandata fuit ad eos Errores examinandos, eorundem Sententiam anathemate dixit Jess. 6. can. 11. Si quis dixerit, Homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa Gratiâ, & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, quæ illis inhaereat: aut etiam, Gratiâ, quæ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Contendit enim, remissionem peccatorum non fieri aliqua externa denuncione, sicut Calvinista contendunt. Canone vero subsequenti disertius definit: Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam Divinæ Misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solum esse, quæ justificamur; anathema sit.

Scio tamen, quid Adversarii ad hoc reponere soliti sunt, scilicet foci facere auctoritatem Concilii Tridentini, quod Synagogam potius esse percensent, ac impie blasphemant. At si ipsi ostenderent, petitis a Sacris Litteris fundamentis, totum illud, quod definitur Concilium, verissimum esse, Causa cadant profecto, velint nolint, necessum erit.

Ostendit igitur primo Auctoritate Apostoli, qui 2. ad Corinth. cap. 1. scribit: Signavit nos (Deus) & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus nostris. Quid autem esse aliud potest pignus istud Spiritus Sancti positum in cordibus nostris, nisi Dei Gratiâ, quæ pignus est Hereditatis æternæ? Si porro positum dicitur in cordibus nostris, non itaque externus est favor; sed quid intrinsecum Animæ a Deo collatum.

Idipsum evinco ex Epist. 1. Joan. cap. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: hoc est quia Gratiâ sanctificans in ipso est. Et in fine ejusdem Capituli: Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. Si itaque in nobis manet, utique internum est, non externum. Quid porro aliud est ille Spiritus, de quo manet in nobis, nisi Spiritus Sanctus sanctificans per Gratiâ suam Animas nostras? Gratiâ itaque sanctificans, seu gratum hominem Deo faciens, internum aliquid est secundum dilectum Discipulum, non favor externus, vel pura non imputatio peccati, ut Pseudo Reformati perperam contendunt.

Quod porro Sacris in Litteris expressum est, lucidissima doctrina exponit, & explanat Angelicus Doctor: Quale nempe discrimen sit inter amorem Dei, & Hominum. Amor Dei, cum sit efficacissimus, non solum est affectivus, sed etiam effectivus: unde Deus per amorem suum bonitatem producit: nec Deus amat Homines, quia boni sunt; sed ideo boni sunt, quia Deus eos a Serry Tom. IV.

mat. Ostendimus id Divinæ Scientiæ exemplo: nam res non ideo cognoscuntur a Deo, quia sunt; sed ideo res sunt, quia a Deo cognoscuntur. Ratio in promptu est; quia per actum Imperii qui scientificus est, res Deus producit: unde multo magis per amorem suum bonitatem producat. Ea quid promittit. 2. quest. 113. D. Thomas.

Scio tamen, esse Nonnullos, quibus hæc D. Thomæ probatio non arridet, quique eam elumbem esse arbitrantur: ajunt enim: Objectum supponitur ad quemcumque actum; sed actus amoris bonitatem supponit, quæ amatur: quare, si objectum amoris Dei bonitas est, a Deo igitur non producitur, sed ad amorem præsupponitur. Verum non advertunt inconsulti, valere hoc quidem in actibus mere speculativis, minime autem in practiis. Sed de his fufius cum de Divina Scientiâ differemus.

Addunt & aliud, ut D. Thomæ Auctoritatem enervent: Deum scilicet amare Hominem propter merita, adeo ut merita priora amoris Dei supponantur. Non itaque, inquit, amor Dei Homines bonos facit, sed bonos invenit.

Falsum prorsus est hoc: nam Deus imo amat Homines sine meritis, ut ex eo amore merita consequantur, juxta illud S. Prosperi Lib. 2. de Vocatione Gentis.

Quod autem jactant de amore Hominum, ultra citroque concedimus nos, nihil ipsum producere in Objecto amato; nam hic est mere affectivus, non effectivus amor, quia amor est Creaturæ.

Ruit pariter mole sua illud alterum, quod addunt de actu Prædestinationis, momentum, nimirum hunc actum utpote æternum, nihil producere in Prædestinatis. Nam, etsi nihil hic in æternitate producat, producit nihilofecius in tempore: Gratiâ videlicet ipsam, quæ Prædestinati donantur, ut finem, ad quem sunt ab æternitate destinati, consequantur: Gratiâ siquidem ipsa est Prædestinationis effectus, & quidem primarius, sine quo sine illum attingere nullatenus possent. Hinc sapius in Scripturis, Prædestinationis nomine Gratiâ designari legitur, & vice versa Gratiæ nomine (finali videlicet) Prædestinationem ipsam; sumptis nimirum effectu pro causa, & causa pro effectu.

Hactenus de primo Argumenti propositi membro cum Lutheranis, & Calvinianis egimus: cum Summis nunc Catholicæ Ecclesiæ Theologis de membro altero disputandum: quid videlicet internum istud Dei Donum sit, quod adfectus primos propugnativus?

Magister Sententiarum, Theologiæ Scholasticæ Princeps Lib. 1. Diff. 17. rogit est, ut ostendat, nil aliud esse, quam Personam ipsam Spiritus Sancti Homines justis unitam, ut actus eliciat Charitatis: quinimo Ille ipsemet sit & Charitas, & Gratiâ. In eam porro descendit Ille Sententiam, quia Dilectus in sua Epist. 1. cap. 4. scripsit: Deus Charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Magistro Sententiarum Oliander adheret in sua Harmonia Evangelica, ubi docet, eam ipsam Sanctitatem inesse nobis, quæ Deus Sanctus est.

Ecclesia tamen, & Cætus omnium ferme Theologorum sentiunt; nimirum Spiritum Sanctum non esse Gratiâ ipsam sanctificantem, quæ Justus Deo charus efficitur; sed Gratiâ fructum esse Spiritus Sancti. Hoc patet imprimis Epist. ad Galatas cap. 5. Fructus autem Spiritus, est Charitas: dein Epist. ad Rom. cap. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Licet enim Apostolus

C c non

non explicet nomen Gratia, sed Charitatis, cum tamen Charitas necessario dependeat a Gratia tamquam a forma, origine, & radice, & ita nequeantur invicem, ut una sine altera stare non possit, si Spiritus Sancti fructus est Charitas, debet esse & Gratia ipsa. In eorum autem Sententia, qui Gratiam a Charitate minime fecerunt, ut mox videbimus, decretorium plane Apostoli momentum equis non videt?

Id etiam constat ex quadam D. Thomae ratione Lib. 1. *Sentent. distinct.* 13., ubi haec habet: Ur Spiritus Sanctus eliciat aquas Charitatis, qui in nobis sunt, necesse est, unitum esse animis nostris. Deus porro uniri non potest, nisi vel pro modum speciei intelligibilis, vel per modum substantiae, seu personalitatis. Primo modo non potest; nam si hoc pacto uniretur, nos ipsi Deum intuitive videremus; cum Beati idcirco videatur intuitive Deum, quia Deus unitur eorum mentibus per modum speciei intelligibilis. Neque secundo modo potest; quia nos ipsi esse tunc personaliter uniti Spiritui S., quo modo unitum fuit Divinum Verbum Humanitati Christi, & sic essemus Deus ipse, uti Christus Deus erat. Quod vero spectat ad Locum illum Apostoli in quo habetur: *Deus Charitas est*; hoc nequaquam intelligendum est de ea Charitate, qua nos diligimus Deum; haec enim Charitas creata est; sed de Charitate, qua nos diligit Deus, quae cum actus Divinus sit, est ipsemet Deus. Quarendum modo a nobis est, quid sit Gratia illa sanctificans, qua diligimus Deum?

Responsio Theologorum est: Qualitatem esse inherentem, & adhaerentem Animae. Sanctio haec lata fuit in *Canone majoris in Concilio Viennensi*; subinde in Concilio Tridentino *Sess. 6. Can. 11.* superius relata, quam ne pigeat repetere: *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa Gratia, & Charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inheret, aut etiam, Gratiam, qua justificatur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Et ea definitio Concilii cohaeret cum eo, quod dixit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.*

Audire quid ad hoc Nonnulli reponunt: Si ita sit, inquit, Charitas itaque, & Gratia minori utique praedita sunt dignitate, quam quaecumque Substantia; cum Accidentia relate ad Substantias ordinis sint admodum inferioris: Qualitates autem quaelibet in genere Accidentium collocantur.

Rideo ad hujusmodi argumentationem. Verum equidem, si Qualitas secundum physicam aestimationem pensetur; cum tunc non sit nisi merum accidens: at si moraliter accipiatur, Qualitas est excellentior substantia sive spiritalis, sive corporalis ea sit. In Theologicis enim disputatur de rebus secundum esse morale, non physicum, de quo Philosophis relinquimus disputandam.

Aliud superest examinandum: cujus nimirum generis sit haec Qualitas inherens Animae. Quandoquidem Qualitas dividitur in Dispositionem, & Habitum; ut Physicis compertum est.

Dispositio enim est Qualitas facile mobilis, disponens Subjectum ad bene, vel male agendum: Habitum contra difficile mobilis dicitur. Quocirca profero, Gratiam sanctificantem infundi Homini per modum Habitum permanentis. Liqueat hoc ex *Epist. 1. cath. Joan. cap. 2. vers. 27.* Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.

Opponunt tamen Plerique: videmus, inquit, hanc Qualitatem amitti per unicum mortale pec-

catum: ergo non est dicenda per modum Habitum permanentis in Anima; quippe quia est valde facile mobilis. Praevitit Difficultatem D. Thomas, *quamquam Charitas, & Gratia amittantur per unum peccatum mortale; non tamen dicendum est, facile moveri; quia homini habenti Gratiam non est facile committere peccata.* Quam Doctrinam tradiderat etiam Aristoteles, licet Paganus iniquus: *Iusto non est facile operari injustum.* Reponi etiam posset, Habitum esse quandoque facile mobilem ratione pravae dispositionis in Subjecto, quamquam sit ex sese difficile mobilis. Quando igitur reperitur in Subjecto extra naturam suam statum, sit facile mobilis: Porro Gratia sanctificans in statu viae, est in statu praeternaturali; cum connaturalis status ejus in Patria sit; ubi impossibile est, justos, & sanctificatos mala opera esse perpetratos.

Ad tertium propositae de sanctificante Gratia Controversiae Caput tandem accedimus: num videlicet distinguatur a Charitate? Saep enim penes Theologos eas, unam cum altera confusas, observare contingit.

De hac Quaestione diu contentio viguit, & quidem acriter, inter Scholam Thomisticam, Subtilem, atque Molinianam. Hic tamen vos admonitos volo, me non movere quaestionem, an ita inter sese Gratia, & Charitas distinguantur, ut etiam ab invicem separari possint. Consentiant enim Theologi omnes, Charitatem absque Gratia Sanctificante stare nullo modo posse, nec ex opposito Gratiam sine Charitate. Si enim una esset sine altera, apertissima contingeret contradictio. Quandoquidem qui Charitate careret, Gratiam autem haberet, esset Dei amicus, & non esset. Esset amicus, quia diligeretur a Deo per gratiam, qua ipsum Sanctificaret, & jus ad Gloriam ei tribueret: non esset amicus, quia Charitate privatus non diligeret Deum, quod ex debito amicitiae praestare deberet, aliique titulis longe multis, ut patet per sese. Non itaque de separatione, sed de distinctione procedit Controversia: cum, ut scitis, plura inter se distinguuntur, quae certe separari non possunt. Scorus *Lib. 2. Dist. 27. quest. unica* Gratiam a Charitate non esse distinctam, probare contendit; quem etiam secuti sunt Moliniani Scholae Professores; quos inter Molina, Henriquez, alique non pauci. D. Thomas adversae Sententiae subscribit *1. 2. quest. 110. art. 3. & Quest. 27. de Verit. art. 2.* ubi Gratiam Sanctificantem a Charitatis Habitu distinguit affirmat, & probat. Hoc tribus Principiis ex Sacris Litteris delibatis evincitur.

Primum Principium est, quod ea necessario distinguuntur, quae in prima sui productione ordinem servant prioris, atque posterioris: porro Gratia & Charitas in sui infusione ejusmodi ordinem servant; quod luculentissimo Joannis Apostoli Testimonio demonstratur ex *Epist. 1. Cathol. cap. 4.* In hoc, inquit dilectus Discipulus, est Charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam Ipse prior dilexit nos. Ubi de Charitate Dei erga Homines loquitur; quae nihil est aliud, quam Gratia ipsa, qua illos Sanctificat, sibi gratos efficit: dixerat enim immediate antea, quod *Deus Charitas est*; nempe ipse Dei actus, quo nos diligit; & quod in hoc apparuit Charitatis Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in Mundum, ut vivamus per Eum. Porro, inquit ego, Charitas, qua nos Deum diligimus, non est Gratia, seu Charitas, qua nos diligit Deus, sed ad ipsam subsequitur; prius enim, quam nos Deum diligamus per Charitatem, quae Virtus Theologica est, & de qua in praesentia contendimus, an distinguatur a Gratia, Ipse

Ipse per Gratiam nos diligit. Servatur igitur ex Scriptura inter utramque ratio prioris, atque posterioris; ac per consequens ab invicem distinguuntur.

Alterum Principium est, quod videlicet Gratia Sanctificans radix sit, & origo Charitatis. Probat hoc Auctoritate Apostoli *Ad Rom. cap. 5.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; nimirum per fructum Spiritus Sancti, qui fructus ipsa est Gratia, ut superius dicebamus. Datur igitur idcirco Charitas, quia antea datur Gratia; adeo ut infusio Gratiae origo sit Charitatis.

Tertium demum Principium est: quaecumque inter sese numerum faciunt, distinguuntur ab invicem: Gratia autem, & Charitas Sacris in Litteris invicem connumerantur, uti legitur *2. ad Corinth. cap. 13.* Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & Communicatio S. Spiritus sit cum Omnibus vobis.

Scio quid Adversarii reponunt, ut vim Apostolicae Auctoritatis elidant. Ajunt enim, Apostolum illo in loco non eas enumerare, quasi numerum faciunt, sed per figuram idem ipsum aliis terminis recensere: quod nituntur evincere ex ipsomet a nobis allato Testimonio; ubi certe numerat Apostolus et ipsam Spiritus Sancti Communicationem; quae tamen nihil est aliud, quam Gratia ipsa.

Verum non advertunt, Communicationem illam Spiritus Sancti aliud prorsus significare, quam Gratiam Sanctificantem, quae potius infusio dicitur, quam Communicatio. Ea porro Spiritus Sancti Communicatio, quam praecatur Apostolus, pro aliis Gratis, nimirum gratis datis, sumenda venit, vel pro Donis ipsius Spiritus Sancti, quae septem recensentur, quaque ipsam Sanctificantem Gratiam augment, atque perficiunt; non pro ipsamet Gratia, quae primo infusa supponitur, tamquam ceterorum omnium Donorum radix, origo, ac fundamentum.

Sed expressius sese Apostolus ipse explicat *ad Timoth. cap. 1.* inquit: Superabundavit autem Gratia Domini nostri cum Fide, & Dilectione; ubi eodem modo distinguit Gratiam a Fide, ac a Dilectione, videlicet Charitate. Quis porro Gratiam idem esse cum Fide asserat?

Quod autem ex tribus allatis Principiis probat D. Thomas, subinde ratione confirmat. Hoc ille utitur ratiocinio: Quod dat esse simpliciter, ab eo distinguitur, quod dat operari cum operari, secundum Philosophos sequatur ad esse: Gratia porro Sanctificans in ordine supernaturali dat esse simpliciter; ideo enim Quis constituitur in esse supernaturali, quia Sanctificantem Gratia donatur; Charitas autem Hominem ponit in actu operandi, cum operetur per Charitatem: debet ergo Gratia Sanctificans a Charitate distingu.

Alterum vulgarissimum Principium est apud Logicos: Accidentia scilicet distinguuntur a substantia Subjectorum; Gratia porro subiectatur in substantia Animae; Charitas vero in Voluntate: at substantia Animae distinguitur a Voluntate: liquet ergo, Gratiam esse distinctam a Charitate. Miror ego, Scholae subtilis Theologos in eam venisse Sententiam.

Videamus modo, quid in contrarium adducant. Imprimis Cardinalis Bellarminus vim facit maximam in Auctoritate Concilii Tridentini; quod ipsi vidatur, non distinguere Gratiam a Charitate *Sess. 6. cap. 3.* Enumerat enim Concilium ea omnia, quae Peccatori in Justificatione infunduntur; Fidem scilicet, Spem, & Charitatem: subjungit Eminentissimus, certius esse infundi Gra-

tiam sanctificantem, cum haec radix sit Justificationis; adeoque verum esse concludit, Tridentinum Concilium nomine Charitatis intellexisse Gratiam: alioquin manca esset istiusmodi enumeratio.

Miror interim, Miror, Cardinalem eruditissimum tam absonam consecutionem ex aperto Principio eduxisse. Idcirco enim Tridentinum Concilium in Peccatoris Justificatione tria illa connumeravit, non connumerata Gratia, quia statim sub initium Capituli illius explicaverat Gratiam ipsam, tamquam eam, qua formaliter fit Justus, & Sanctus. Dein addo, Concilium istud *Sess. 6. Can. 11.* ubi ea describit, per quae Peccatoris contingit Justificatio, haec habere, quae superius retulimus: *Si quis dixerit, Homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa Gratia, & Charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inheret: aut etiam, Gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* En quam plane, aperteque distinctam a Charitate Gratiam connumeravit Tridentinum.

Bellarminus vero, alique Theologi bene multi nonnulla congrunt Scripturae Testimonia, & Sanctorum Patrum Pronuntiata, ut evincant, effectum, qui tribuntur Gratiae, tribui etiam Charitati; quo exinde inferunt, Gratiam, & Charitatem esse revera inter sese unum & idem, sola nomenclatura distinctas. Tribuntur enim, inquit, Gratiae, quod Hominem reddat amicum Deo: quod dignum Caestri Regno eundem constituat: quod inter Filios Dei, & Diaboli Filios distinguat: quod divinae Naturae participem eum faciat: aliaque plura Dignitatis insignia: quae tamen omnia Charitati quoque dicuntur tribui.

At non video, quid ex hac consecutione extundere possint: licet enim effectus eandem alteri tribuatur, non consequitur inde, causas eorumdem productrices effectum unum idemque esse inter se: cum repugnancia nulla sit, unum eundemque effectum ad plures variasque causas posse referri.

Repono etiam, effectus illos non eodem prorsus modo tribui Gratiae, & Charitati: nam Gratia eos producit effectus, tamquam causa radicalis primaria; Charitas vero ut secundaria.

Unicum est, quod eis fortasse excitare sepulchrum possit; nimirum, si Gratia distingueretur a Charitate, posset Deus, per absolutam Potentiam suam, unam ab altera separare: nam quae distincta sunt, per Potentiam Dei absolutam separari posse, contendunt Theologi cum Philosophis.

Verum nec id quidem incommodat. Multa quippe sunt, quae licet distinguantur, nequeunt tamen a Deo separari, nec per absolutam Potentiam. Siquidem Substantia Anima distinguitur ab Intellectu, & Voluntate realiter, nec tamen a Deo separari ab invicem possunt. Nihil est igitur, quod ex hoc allato Momento aliqua veritatis specie ab iis extundi quoquo modo fas sit. Haec tamen de Gratia gratum facientis naturae satis superque dictum. In sequentibus de Gratia actuali & ejus Divisionibus Sermonem instituemus.

PRÆLECTIO III.

Variis actualis Gratiae expositis Divisionibus, de Gratia Sufficiens nomine differitur: qua Pueros absque Baptismate morientes curare penitus, demonstratur.

Hactenus in suscepta Tractationis proliis hæsimus, dum de Gratia gratis datis, & de Gratia gratum faciente habituali disputavimus. Nunc ad interiora, secretioraque Mysteria progredimur, de Gratia actuali prolixè disputaturi. Quaecumque enim ab Hæreses Pelagianæ natalibus ad nostra usque tempora tanto animorum æstu de Divinis Auxiliis obtortæ sunt contentiones, de hac Gratia actuali fuere.

Nomine Gratia actualis intelligimus Divinum quendam impulsum, seu motum Animabus nostris impressum, quo Deus Hominem ad actus supernaturales Naturæ vires superantes excitat, movet, & applicat; quovis tandem modo illa excitatio, motus, & applicatio fiat; seu per physicam quandam qualitatem; seu per spiritualement aliquam delectationem.

Gratia ista multifarie dividitur: dividitur enim in Operantem, & Cooperantem. Gratia Operans ea dicitur, qua Deus primum affectum boni operis in Animabus inspirat: Gratia Cooperans est, qua Deus una cum Anima jam bene affecta, jamque bene volente boni operis actum exequitur; juxta illud Augustini Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. Quoniam ipse (Deus) ut volumus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.

Hæc tamen divisio, nedum ab Augustino tradita est; sed etiam ex Sacris Litteris deducta: Isaia Cap. 26. Omnia enim opera nostra operatus est nobis: Et 1. Corinth. cap. 15. Non ego autem, sed Gratia Dei mecum est: & Ad Philip. cap. 2. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere.

Dividitur etiam, aut certe dividi dicitur in Gratiam Prævenientem, & Subsequentem; cujus utrumque Divisionis membrum ex Sacris Paginis petitur pluribus in locis; & præcipue Psal. 58. Misericordia ejus prævenit me: & Psal. 22. Misericordia tua subsequetur me.

Observare tamen operæ pretium est, hanc Gratia Divisionem non esse diversam, sed eandem omnino cum precedente, variis tantum verbis expressam, atque descriptam: cum ea, quæ dicitur Operans, sit etiam Præveniens; & ea Subsequens sit, quæ Cooperans appellatur.

Dividitur etiam in Excitantem, & Adjuvantem: quod ex Sacris Litteris perinde colligitur: ad Ephes. Cap. 5. surge qui dormis. . . & illuminabit te Christus: Ecclesia: Excita Domine tuorum Fidelium voluntates: ad Rom. Cap. 8. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Hæc quoque Divisio a duabus prioribus nihilo differt; Gratia quippe Excitans, est & ipsa Præveniens, & Operans; Gratia Adjuvans, est & ipsa Subsequens, atque Cooperans.

Post tot tandem Divisiones altera Divisio subsequitur, qua alia dicitur Gratia Creatoris, Salvatoris altera. Prima illa est, qua data fuit primis Parentibus in Statu Naturæ innocentis: Altera, quæ datur in Statu Naturæ Lapse per peccatum: & idcirco dicitur Gratia Salvatoris, quia data nobis est meritis Christi: at hæc potius Statuum Naturæ Humanæ divisio dicenda a nobis est, quam Gratia.

Alia præ cæteris celebris Divisio est Gratia actualis in Sufficiens, & Efficacem; de qua

tantum in Scholis, præcipue postrema hac ætate, disputatum fuit. Hanc Divinæ Gratia Divisionem iisdem verbis expressam nusquam leges in Augustino; saltem quo ad primum Divisionis membrum, nempe Gratiam ex nomine sufficientem: Gratiam possibilitatis, Gratiam actionis invenies appellatam: item Auxilium sine quo non fit opus; Adjutorium quo fit; numquam tamen hæc terminis Sufficiens, & Efficacis expressa legi potest in Augustino. Quare plerique Theologi sunt, qui contra eos effervescent, quibus Divisionem Gratia hæc vocibus expressam, mens fuit, in Scholis invehere. Quo enim pacto, exclamant, Gratia Sufficiens appellari potest contra nativum vocabuli conditionem, si non sufficit? Novam certe Grammaticam cudere necesse erit, si oppositam illi, quam habent natura sua, tribuere significationem verbis velimus. Sane si a me queratur, bona Theologorum, qui vocabulum hocce in Scholis jam familiare fecerunt, venia dicam, quod sentio: nimirum congruentius loqui, strictiusque Molinianos, qui Gratiam sufficientem illam appellant, cui nihil omnino aliud desideratur. Nihil tamen minus, quia in Scholas jam inventum est vocabulum illud Sufficiens ad Gratiam meræ possibilitatis denotandam, loquendum est cum multis, & sentiendum cum paucis, ut Vulgus loquitur. Ostendam tamen, non ita hanc esse ineptam locutionem, sed Gratia hoc pacto dici posse Sufficiens; quia nimirum ad possibilitatem agendi, quam tribuit, nil aliud desideratur. Gratia enim, de qua hic agitur, dicitur Sufficiens non simpliciter, & absolute, sed in linea possibilitatis, seu potentia, actus primi. Ut autem ea in linea sufficiens apte dicatur, satis est, si nihil aliud requiratur ad possibilitatem, seu ad potentiam in actu primo. Quod quidem demonstrari potest Exemplo. Oculum bene valentem, dicimus Potentiam sufficientem ad videndum, quamquam ut actualiter videat, plura desiderentur: sed quia hæc non desiderantur, ut detur potestas ad visionem, sed tantum, ut potestas hæc exeat in actum; idcirco sufficiens potestas appellatur, cui nihil aliud desiderari potest: ita de Gratia sufficiente, proportione servata, pronuntiandum. Hæc enim taliter Potentiam expedit in ratione Potentiæ, & in actu primo, ut loquuntur Scholastici, ut potens omnino fiat ad operandum, nec ad hoc alia indiget Gratia; tamen indiget, ut in ipsum operationis actum erumpat.

Exemplum alterum manifestum habemus in Characteræ Sacerdotali, qui procul dubio apte, concineque dicitur Potentia Sufficiens ad Consecrationem Corporis Christi. Porro, ut hæc Potentia exeat in actum secundum Consecrationis, multa desiderantur; debita scilicet materia, forma, & intentio: sed quoniam hæc non ad dandam Potentiam inserviunt; sed ut Potentia in actum secundum eruat operationis, ideo sufficiens potestas ad consecrandum Sacerdotalis Character appellatur. Quid ni igitur etiam Gratia, quæ datur Homini, dicitur Sufficiens, licet altera desideretur, ut actum exeret operationis?

Unum est, quod sine stomacho audiri nequit: quod nimirum Janfeniani deblaterant. Ajunt isti, Gratiam sufficientem esse Monstrum quoddam Gratia; cum ab Orbe condito usque modo nil boni ab ea factum sit. Deia inquirunt: Si hæc Gratia conferat solum possibilitatem ad operandum, datur ergo, ut nos magis peccatores efficiat: melius enim foret, nos esse delictuos hac Gratia; cum tunc non eyaderemus Rei apud Deum: nam datur hæc Gratia, nec tamen nos agimus: unde erat Quidam, qui in suis precibus dicebat, seu verius blasphemabat: a Gratia Sufficiente libera nos Domine.

Domine. At hæc omnia proferuntur ab iis, qui nesciunt naturam Gratia Sufficiens. Quod enim dicitur, Gratiam hanc, cum mere Sufficiens sit, nil profus operari, intelligendum est comparate ad Opera perfecta: nam comparate ad Opera imperfecta, & initialia non est mere sufficiens, sed etiam motiva.

Quod vero ad Eum pertinet, qui orans dicebat: a Gratia Sufficiente libera nos Domine: scire juvat, sub Pontificatu Innocentii XII. inter alias Propositiones a Tribunali Sacra Congregationis damnatas, hanc quoque, & quidem merito fuisse præscriptam.

Actualis Divinæ Gratia Divisionibus explicatis ac bono in lumine positis, illud primum in Controversiam vocatur de Gratia Sufficiente: num videlicet omnibus, & singulis Hominibus hanc Gratiam Deus largiatur. Quæstio hæc magis recentes Theologos anxios habet, quem veteres Magistros habuerit: quamobrem ab ejus Tractatione abstinere nequaquam possumus.

De tribus itaque Hominum generibus Controversia movetur: Primo, de Pueris ante Rationis usum sine Baptismate sublati: secundo, de Infidelibus: tertio de Induratis, & obcecatis Hominibus Christianis. Hodierna luce de primis, de cæteris in sequentibus differemus.

Dux itaque Puerorum distinctæ sunt species. Sunt Alii, qui postquam ex matris utero prodierunt, ex hac vita decedunt: Alii, qui moriuntur priusquam nascantur. Infideles itidem duplicis generis inveniuntur. Alii, qui Fidem aliquando suscepere, vel saltem de Fide aliquid audire: Alii vero, qui nullam de Fide cognitionem habuerunt, cum nunquam illis prædicatum fuerit Christi Evangelium. Indurati, & obcecati & ipsi duplici in ordine reponuntur. Alii, qui, tamen indurati sint, atque obcecati, ad obcecationis & indurationis terminum, seu consummationem nondum pervenerunt: Alii vero, quorum obcecatio absoluta est, atque perfecta. Qua posita distributione, querendum modo, an Pueri sine Baptismate decedentes Gratia sufficienti donati sint. In qua agitata Controversia vos monitos volo, nomine Gratiarum Sufficiens hic non esse intelligendas Gratias actuales illas, quibus Intellectus illustratur, excitaturque Voluntas Hominis: certum est enim, ante usum rationis Pueros hujuscemodi Gratiarum esse omnino incapaces: proindeque id queri a Theologis solet; an Pueri illi omnes non suscepto Baptismate morientes proximam semper potestatem habuerint suscipiendi Baptisma; an vero destituti sint, non solum defectu causarum secundarum, sed etiam ratione Divinæ Voluntatis, quæ noluit, ut iis Baptisma conferretur.

Concludo itaque, Pueros hos omnes non habere Gratiam sufficientem; non habere proximam ad susceptionem Baptismatis potestatem; sed hanc plerumque stare penes Deum, qui non vult, ut hi Pueri baptizentur. In hac propugnanda Sententia D. Augustinus semper mihi Auctor, & Princeps est habitus. Is enim Lib. de Dono persever. cap. 12. illam difficultatem expendens; quare, & quomodo tam multi Pueri ad Baptisma pervenire non possint? Respondet D. Doctor: Plerumque enim festinantibus Parentibus, & paratis Ministris, ut Baptisma Parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui cum parvulus in hac vita non tenet, ut daretur. Si ergo aliquando contingit, ut Parentes prompti sint, & Ministri parati ad conferendum Baptisma, nec tamen contertur, concludendum est, non habere Pueros Gratiam sufficientem, nec potestatem proximam ad suscipiendum Baptisma; sed hanc stare penes Deum. Docet id Augustinus Lib. 6. contra Julianum cap. 14.

Cum enim reponeret Pelagiani, idcirco Parvulos non pervenire ad Baptisma, quia voluit Deus ea privatione castigare peccata Parentum suorum: Reposuit contra Augustinus, in medium afferens nonnullorum Exempla, qui ex piissimis Parentibus orti sunt; aliorumque, qui fuere ex sceleratis hominibus nati; & tamen contigit, ut ex piissimis parentibus Orti sine Baptismate decederent; nati vero ex sceleratis hominibus baptizarentur. Augustini verba decretoria sunt loco laudato: Aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissime semine; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero sue filie.

Hoc idem, quod docet Augustinus, docuit etiam Discipulus ejus S. Prosper in Carmine de Ingratis; ubi conferens eam Puerorum distinctionem, hæc habet:

Nec moris istud poteris aptare Parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura, bonorum;
Abstulerisque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos sanctis Genitoribus ortos
Nulla salvari studio potuisse suorum:
Expositisque Aliis ob turpia crimina Matrum
Missam Externorum curam, que stercore raptos
Per fontem vitæ celesti traheret Aule.

Cum viderent igitur Pelagiani, Pueros impurissimarum seminarum quandoque baptizari, filios e contra sanctissimarum Matrum sine Baptismate decedere, ideo hoc contingere aiebant, quia Deus eorum Puerorum futura peccata voluit castigare, quæ prævidit operaturos, si ad adultam ætatem pervenissent. Hoc tamen impugnat Augustinus tamquam stolidissimum figmentum: unde ait, Pelagianos futura fingere, quæ futura non sunt: nam si ad ætatem adultam venturi non sunt, quomodo erunt perpetraturi peccata?

Veritatem illam, quam Augustinus hæc Oraculis confirmavit, placet nunc alio ex Capite comprobare, & ostendere, Pueros illos aliquando privari Baptismate, ob defectum causarum secundarum, quæ a Deo ipso impediuntur, ne effectum producant. Cum Baptisma itaque conferri nequeat, nisi Pueri jam genito, quomodo habebit potestatem suscipiendi Baptisma Puer ille, qui, ut sæpe solet, in utero moritur? Erit qui dicat, etiam hosce Pueros habere hanc potestatem, quia somnium a multis est, conferri posse Baptisma Pueri in utero existentis Instrumentis quibusdam adhibitis, nempe medio cristillio.

Quam stolidum, & ineptum hoc sit adinventum, patefit primo ex eo, quod, esto extremis graviditatis mensibus posset ita uterus dilatari, ut per fistulam aqua stillari posset; tamen Puer ille ita secundinis, & membranis est involutus, ut aqua ablu, nequaquam possibile foret. Nam membrana illæ, & secundinæ quamvis subtilissimæ essent; resistunt nihilominus aquæ, quæ forte posset infundi. Nos stolidam hanc Opinionem penitus, penitusque rejicimus, & inanibus Poetarum figmentis adnumeramus. Sed etsi daremus pro maxima liberalitate, extremis mensibus graviditatis posse per fistulam aquam stillari, quia iis fortassis temporibus uterus aperiri tantillum potest; primis certe mensibus via nulla immitti aquam, fas esset: eam enim uteri apertionem ipsi etiam Adversarii in extremis dumtaxat mensibus ponunt. Puer igitur ille primis illis saltem mensibus potestatem certe non habet Baptisma suscipiendi; cum eo tempore stillationem feri, impossibile prorsus sit.

Sed quid ad hoc opponere solent Adversarii, audire ne pigeat. Clamant Illi, habere Deum sinceram Voluntatem Salutis Omnium, atque ita Puer-

Puerorum quoque in Matrum utero, five extra uteros absque Baptismate morientium: habet itaque Deus Voluntatem, saltem antecedentem, ut baptizentur: Voluntas enim hæc antecedens salvari nequit, nisi per hoc, quod media ad Salutem apprime necessaria, cuiusmodi Baptismus est, præparantur. En quod primo deblaterant, ut eam nobis Sententiam incrustent.

Hoc tamen duplici ex Capite absurdum probat. Non defunt, & quidem maximæ notæ Theologi & quamplures etiam ex Schola Moliniana, qui sustinent, Principium illud locum non habere in his Pueris. Ita Vasquezus in *Comment. ad primam 2. D. Thomæ ad artic. 3.* Verum cum nostra Sententia sit, ut alias contra Janfenium propugnavimus, Deum velle omnes Homines, nullo dempto salvos fieri, ac per consequens etiam Parvulos illos, qui sine Baptismate ex hac vita decedunt, cum Homines & ipsi sint, propterea dicimus, hoc Deum velle per Voluntatem antecedentem, nolle autem per Voluntatem consequentem, quæ semper cum effectu conjuncta est. Quod porro causæ secundæ impediatur, ne Puer, quem Voluntate consequente non vult ad Gloriam pervenire, Baptisma suscipiat, sed sine Baptismo moriatur, hoc præstat Deus ipse: si enim id non præstaret, Puer certe baptizaretur, & sic salvaretur contra Voluntas suæ consequentis Decretum: quod asserere absurdissimum est. Vult itaque Deus, tanquam Omnium Redemptor, cunctorum etiam Salutem Voluntate antecedente, non ambigimus: sed vult etiam, ut Sapientissimus Omnium Provvisor, Voluntate consequente permittere, ut aliqui a suo Fine deficiant. Quare hoc? Rationes plures subministrat Doctor Angelicus *1. part. quest. 23. art. 3. 4. 5.* & Mihi, a nobis alias relatas, dum de hæc materia adversus Janfenium ad quintam ejus Propositionem ageremus: ubi & ostentimus, quo pacto duæ ille contrariæ Voluntates in Deo esse possint, unam nimirum antecedentem, qua sincere velit Omnium salutem; alteram consequentem, qua permittat, aliquos Salutem minime consequi. Ne tamen jejunos vos mittam, audite Apostolum *ad Rom. cap. 9. Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustulit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitiis Gloriam suam in vasa misericordiam, que præparavit in Gloriam.* Ex quibus Apostoli verbis satis liquet, omnes illos, quos antecedenter prædestinavit, consequenter nolle prædestinatos, ut specialis erga Electos Benevolentiam argumentum sit, quod ii non adipiscantur Regnum, qui antecedenter erant (sed inefficaciter) a Deo ad Regnum ipsum prædestinati.

Nec quicquam obest, quod subdebat; Voluntatem scilicet illam antecedentem intelligi, & explicari non posse, nisi saltem per mediorum præparationem; quæ tamen præparatio pro Pueris illis designari non potest, si semel potestate careant suscipiendi Baptismum. Dicimus enim, & pro illis præparata fuisse media in communi, & ipsum etiam Baptisma: hoc enim ab Christo Domino pro omnibus omnino Hominiibus fuit institutum: *Euntes ergo, Apostolis inquit, docete omnes Gentes, baptizantes eos: sed aliud est præparare, aliud applicare.* Si secundas causas Deus non impediret in casu nostro, nedum Baptisma præparatum esset, sed reapse applicaretur Infanti. Quare, dum dicimus, Infantem in Matris utero morientem potestatem non habere suscipiendi Baptisma, non ita intelligimus, ut nulla facta suppositione, seu quatenus absolute Homo est, ea careat potestate, quod pertinet ad Voluntatem antecedentem; sed supposito, quod in Matris utero sit moriturus: quæ conditio ad Voluntatem attinet

Dei consequentem. Quare eo ipso, quo Deus Puerum illum in utero Matris moriturum Voluntate consequente decernit, impossibile illi reddit Baptismatis susceptionem; adeoque Pueri illi nullum Sufficientis Divinæ Gratiæ Auxilium confertur: & nihilominus salvatur in Deo Voluntas illa antecedens verissima, sincerissima, qua omnium Hominum Salutem Deum absolute velle, catholice asserimus.

De prima itaque susceptæ hujus Disputationis parte satis diximus: ad binas alias pertractandas accedendum modo; in quibus num Infidelibus, & obduratis Hominiibus Sufficientes Gratiæ Deus largiatur, differendum est. Hoc in sequenti, Deo auxiliante, perficiemus.

PRÆLECTIO IV.

Tam Infideles, qui nihil de Evangelio audire; quam induratos, & obsecatos, dum eorum obduratio atque obsecratio consummatur sunt, Sufficientibus Gratiis privatos esse, demonstratur.

Tres esse Infidelitatis species, commune fuit semper Scholarum Estatum; seu tria esse Hominum genera, qui Fide destituti dicuntur. Alii, qui vulgo Hæretici; Alii Hebræi; Alii Gentiles, & Ethnici appellantur. Hæretici ii sunt, qui Fidem aliquando susceperunt, & in Baptismate professi sunt, sed postmodum reliquerunt. Hebræi sunt illi, qui Fidem in umbra susceperunt, seu saltem in Figuris veteris Testamenti. Gentiles tandem, & Ethnici ii dicuntur, qui Fidem nullo modo susceperunt; imo nec de Fide quidem audire; quibus scilicet nunquam prædicatum fuit Evangelium. Dum porro a nobis hic disputandum est, utrum Infidelibus Sufficientes Gratiæ a Deo concedantur, nec ne, non de Hæreticis, nec de Judæis, sed de Gentilibus sermo venit.

Mirum, quantum circa hos digladiantur inter sese recentioris Scholæ Theologi. Ego tamen, qui Augustini sententiam semper amplexus fui, dico, Infidelibus, quibus nunquam prædicatum fuit Evangelium, gratias sufficientes a Deo denegari. Quod ut evincam, utar in primis ineluctabili principio in Scholis omnibus confesso. Supponuntur privati sufficientibus Gratiis ad salutem & fidem obtinendam; qui excusabiles sunt, quique pro peccato Infidelitatis excusantur; Porro Infideles sua excusantur infidelitate, neque ex ea causa damnantur; id patet ex Evangelio Joannis 15, ubi exprobrans Deus Judæis eorum pervicaciam, hæc habet: *Si non venissem, & locus suscitasset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Si ergo Christo Judice hi excusationem habent, ad quos Christus non venit, nec venit per ministros; cum Infideles isti tales sint, nam nec Christus venit ad eos, neque per ministros venit, ergo erunt hi Infideles pro sua infidelitate excusandi; & si puniantur, non propter infidelitatem puniuntur; sed propter peccata contra naturæ legem patrata.

Patet hoc etiam ex altero D. Pauli testimonio; ex quo liquet, eos esse a sua infidelitate excusandos, qui credere non poterunt. *Quomodo credent ei, ait Apostolus ad Rom. 10., si non audierint?* si ergo Infideles hi Evangelium nunquam audierunt, cur non erunt pro sua infidelitate excusandi? Hoc argumento pressi nonnulli Theologi recentiores reponunt, Infideles istos destitutos quidem esse auxiliis sufficientibus proximis; habere tamen auxilia remota. Unde habent hoc? ex D. Thomæ doctrina; dicit hic *ad caput 10. epistolæ ad Rom. lect. 3.* quod si esset Infidelis in sylvis, qui

qui nil quicquam de Evangelio audierit, si tamen hæc dudum rationis naturalis sequeretur in observantia legis naturalis, Deus mitteret Angelum potius, aut ei delegaret Prædicatorem aliquem extraordinarium, quem admodum misit Paulum ad Macedones, Petrum ad Cornelium, ut ipsos erudiret in fide. En quid hic primo loco reponunt. Admitto ego Doctoris Angelici auctoritatem; at nego consecutionem, quam ex eo D. Thomæ loco inferunt. Quamquam enim eo loci S. Doctor dicat, quod si esset Infidelis in sylvis, qui de Evangelio nihil audisset, mitteret ei Deus Angelum potius, aut Prædicatorem extraordinarium, ut eum in fide erudiret, dummodo dudum naturalis rationis sequeretur; eo tamen in loco subiungit: *quod autem est facere, quod in se est in observantia legis naturæ, non est ab hominibus ex se, sed a Deo.* Si porro ut ille faciat, quod in se est ad observandam legem naturæ indiget auxilio Dei ut moveatur, falsum est ergo, habere auxilia sufficientia remota, quibus si bene utatur, salutem æternam possit obtinere.

His addiderim ego; Observantia legis naturæ non est nisi observantia primi præcepti, quod est Dilectio Dei, ut auctoris naturæ; sicuti primum Legis Evangelicæ præceptum est amor Dei, ut auctoris gratiæ; porro ut primum illud præceptum adimpleatur, effectus est gratiæ non tam sufficientis, verum etiam efficaci; nam in statu naturæ lapsæ cum supponatur vitiosa natura propter peccatum averfa a Deo non tam ut auctore naturæ, quam gratiæ, nequit quis amare Deum, nisi gratia non tam sufficienti quam efficaci adjunctus sit. Quomodo ergo damnabuntur? dicent fortassis aliqui. Triplici de causa. Primo propter originale peccatum, quod certe in dubium verri nequaquam potest, cum ad omnibus hominibus contrahatur. Secundo propter ingentia scelera, quibus ii immunes non sunt, qui in tenebris Infidelitatis immergi jacent. Tertio propter non observatam legem naturæ, cujus observantia ex necessitate illis incumbit. Dicent tamen. Quomodo hoc fieri potest, si destituti sunt etiam gratiis sufficientibus ad istiusmodi observantiam. Quibus Respondeo ego, cur sunt isti auxiliis destituti? certe nisi quod suis ipsi peccatis id demeruerunt. Qui enim incidit in peccatum, hoc facit non ex defectu bonæ voluntatis Dei, sed ratione pravæ voluntatis, & malitiæ suæ. Doctrina est D. Th. 2. 2. qu. 2. art. 5. ubi præterit, an ad credendum aliquid explicite homo teneatur? Et primo loco sibi objicit: *Nullus teneatur ad id, quod non est in ejus potestate: sed credere aliquid explicite, non est in hominis potestate: dicitur enim Rom. 10. Quomodo credent in illum, quem non audierunt? Quomodo audient sine Prædicante?* Cui Difficultati tali pacto respondet: *Dicendum, quod si in potestate hominis esse dicitur aliquid exclusivè Auxilio Gratiæ, sic ad multa tenetur Homo, ad que non potest sine Gratiæ præparante, sicut ad diligendum Deum & Proximum: & similiter ad credendum Articulis Fidei. Sed tamen hoc potest cum Auxilio Gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur in penam precedentis peccati, & saltem Originalis peccati, ut Augustinus dicit in Lib. de Correp. & Gratiæ.*

Audiamus quid Adversarii nobis opponant. Afferunt illud Joan. cap. 1. ubi de Verbo Divino loquens hæc habet *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Certe si quid ex eo loco colligi possit, colligerentur non tam Gratiæ sufficientes, verum etiam efficaces, quibus homo non solum possit illuminari, sed re ipsa illuminaretur. Unde locus ille Joannis intelligendus est

de illuminatione actuali, *illuminat*, non de possibili. Cui addiderim ego, locum illum esse intelligendum hoc pacto; quod Deus illuminat omnem hominem venientem in mundum in ordine naturali, hoc est dando lumen rationis naturalis, quo Deum prosequi possit. D. Augustinus tamen hoc pacto illum Joannis locum exponit, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* non quia omnes illuminentur a Deo, sed quia nemo est, qui illuminatur, qui non illuminetur a Deo; & hoc exponit aperitissimo exemplo Magistri, qui solus in Urbe litteras doceat; dicitur, hic omnibus litteras edocere; non quasi quod omnes, qui in Urbe sunt, ab eo litteras discant; sed quia nullus ex iis est, qui litteras discant, qui ab eo non discat.

Aliud dein afferunt argumentum ab Apostolo desumptum ad Rom. cap. 1. *Invisibilia enim ipsius, a creatura Mundi, per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur: . . . ita ut sint inexcusabiles;* ex quo colligunt Infidelibus semper auxilia sufficientia a Deo concedi.

Quod autem dicitur, lucere omnibus hominibus divinum lumen per ea, quæ facta sunt, non probat habere omnes homines Gratiæ a Deo sufficientes, sed tantum ut ea cognoscant, quæ ad Deum spectant ut Auctorem naturæ; illud postea, quod subiungit Apostolus, inexcusabiles esse, intelligendum est, si Deum non noverit ut Auctorem naturæ. Eo enim in loco agit Apostolus contra Philosophos, qui cum dona multa naturalia a Deo acceperint, tamen eum non cognoverunt neque ut naturæ Auctorem.

Sequitur ergo de obsecatis & induratis differendum; quod, ut novam dicendi materiam præbet, ita distincta ac peculiari Exercitatione insequentibus pertractabitur.

PRÆLECTIO V.

Peccatores induratos & obsecatos Gratiis sufficientibus aliquando privari, ostenditur.

Satis & abunde probavimus in antecessum, pueros sine baptismate sanctos, & Infideles, qui nil quicquam de Fide audierint, Gratiis sufficientibus esse destitutos, quos Infideles negatior Schola vocitat: modo inquirendum est nobis, an Peccatores indurati, & obsecati Gratiis sufficientibus destituantur. Qua in re multos Adversarios experiri contingit. Quinimo ex his eo laxitatis devenere quamplures, ut non modo contendant, obduratos hos homines Gratiis sufficientibus donatos fuisse, sed etiam non peccatores aperto ore confirmet, si iis essent destituti. Sententiam hanc, vel ut melius dicam, errorem suscitavit in Galliis Moliniani anno 1641., qui in publicis Conclusionibus propositionem hanc protulere: *peccatum est violatio legis divinæ: si violatio legis divinæ in eo consistat, quod quis vel Deum non noverit, vel quod de Deo actu non cogitaverit, est peccatum materiale, minime vero pœna dignum; quem errorem sequitur inde temporibus die 24. Augusti anni subsequentiis Alexander VIII. damnavit.*

Mea tamen hæc in re sententia est, induratos, & obsecatos Gratiis sufficientibus aliquando privari; nihilo tamen minus eo etiam in statu peccare posse.

Quod pertinet ad primam hujusce disputationis partem, auctor & Princeps mihi semper habitus est Augustinus *lib. de correptione & gratia cap. 12.* ubi questionem hanc agitasse videtur contra Pelagianos. Agens ibi Augustinus de Protoparentibus nostris, qui in Paradiso peccavere, duo au-

xiliorum genera distinguit, quorum alterum auxilium, sine quo non fit opus, appellat; alterum auxilium, quo fit opus; quae duo genera Viri de Schola in quibus, & efficax distinguere soliti sunt; quae postea distinctione concludit S. Doctor, Adamum & Evam, dum Mandatum Dei transgressi sunt, non fuisse destitutos auxilio sine quo; subiungit tamen, quod nunc, qui eo destituti dicuntur, destituti sunt propter originale peccatum, ex quibus Augustini verbis liquet, induratos & obsecatos aliquando gratiis sufficientibus, nomine auxilii sine quo eo in loco ab Augustino expressis, privari.

Hoc idem docuisse videtur in *Sermone de Verbis D.* ubi ait: peccator cum vult non potest, quia quando potuit non voluit: ideo per malum velle perdidit bonum posse. Si igitur Gratia sufficientis illa est, per quam dicitur, habere homo bene agendi potestatem, sequitur ex Augustini verbis concludendum, perdere aliquando per malam voluntatem hanc bene agendi potestatem.

Hoc etiam Augustinus de nat. & Grat. cap. 67. paucissimis immutatis verbis docet: Illud est peccati poena iustissima, ut qui, rectum facere cum posset, noluit: amittat posse cum velit.

Tandem Augustini doctrinam mutatus est S. Hieronymus lib. 2. de summo bono cap. 13. nonnulli ita despicuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. Hoc ipsum tandem D. Gregorius 11. Moral. cap. 15. asseruit.

At missis Sanctorum Patrum testimoniis, rem pertractemus speculatione ipsius Gratiae sufficientis. Gratia itaque sufficientes nil aliud sunt, quam momentanea quaedam intellectus illustrationes, & voluntatis excitationes, quibus moventur homines, & excitantur ad opera bona exercenda. Quae itaque a Viris Theologis, an peccatoribus induratis, & obsecratis praesto semper sint bonae illae intellectus illustrationes, pia illae excitationes voluntatis? certe liquet experimento, eas non semper illis praesto esse; nam tantum abest ut peccatores indurati de Deo cogitent, ut sua potius perversitate delectentur: unde concludendum est nobis, obsecratos & induratos aliquando gratiis sufficientibus privatos esse.

Sunt, qui ut sese hac difficultate possint expedire, inquirunt, peccatores licet induratos habere quidem eas intellectus illustrationes, & pias voluntatis excitationes, sed ad eas minime attendere.

At responsum hoc tamquam insulsum, ac futile impugnat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de lib. arb. cap. 6. & seq. nam cum ea sint actus quidam indeliberati, qui a Deo immittuntur in cor hominum, quomodo fieri potest, ut ad eas non attendant? Sed etsi darentur, has intellectus illustrationes, & voluntatis excitationes habere, nequaquam tamen ad ipsas attendere, essent perinde in homine, ac si non essent.

At rem paulo intimius consideremus: iccirco contendunt hi liberales Gratiarum sufficientium largitores, non esse illos Gratias sufficientibus destitutos, quia si iis destituti essent, peccatorum rei omnino non essent, quae in eo fatalis desperationis statu committerent; Propterea quod, ut illi quidem argumentantur, nemo peccat in eo, quod vitare non potest. Gratias autem sufficientibus destituti peccata vitare non possent; cum Gratia ille ipsa vitandi peccati possibilitatem largiri dicantur.

Iccirco ut largos illos Gratiarum largitores a suis ipsorum praediis depellam, facturum me opera pretium existimavi, si duo haec ex opposito demonstravero.

An non istud est Gratiarum sufficientem jocum nobis, ac ludum facere?

vera ad poenam aeternam imputari, tamen nulla mens illustratio in antecessum affulgeat, nulla superna excitatione pulsetur humana voluntas.

Secundo: A culpa non vacare, qui praecipi implendi impotentia laborat, si in eam semetipsum sponte conjecerit: uti profecto in eam se sponte coniecit peccator ille, qui in poenam praecedentium delictorum Gratias sufficientibus, iusto Dei iudicio, destituitur.

Quod primum attinet, nempe peccari re ipsa posse, peccatumque ad poenam aeternam imputari, tamen nulla mentis illustratio praefulgeat, nulla pia voluntatis excitatio praevaleat, manifestum in primis arbitror, tum ex damnatione erroris Peccati Philosophici lata ab Alexandro VIII. die 24. Augusti Anni 1690., tum ex damnatione propositionis Jesuitae Ravuii lata a Clero Gallicano anno 1641., & renovata Anno 1700.; Tum demum ex damnatione propositionis 26. lata ab Academia Lovaniensi anno 1657.

Accedunt his momenta rationum, quae suffragium quodcumque Theologis contrarium sententibus occludunt; & commenta quaelibet ab imo suffodiunt.

Ideo ad verum, propriumque peccatum admitendum necessaria fingi posset praevia illa mentis illustratio, ut scilicet homo aliquantulum saltem haberet notitiam pravitatis huiusmodi actionis: At peccari omnino potest, saltem contra legem naturalem, etsi nulla praevaleat notitia legis naturalis, maxime si eam peccator ipse notitiam extinxerit, assuescente peccandi; liquet ergo, & necessarias non esse eas intellectus illustrationes, & voluntatis excitationes ad committendum peccatum; proindeque induratos & obsecratos vere, propriamque peccare, etsi destituti sint Gratias illis sufficientibus.

Ad haec etiam: Gratia illa sufficientes, quae recentiores isti Theologi necessario praelucere debere dicunt in mente, & voluntate peccantis, ut peccatum vere illi imputetur ad poenam aeternam, cum actuales duntaxat sint ad modum viabilis duntaxat illustrationis intellectus, & excitationis voluntatis; imo cum gratia ista actus indeliberati intellectus, & voluntatis dicantur esse a Deo animabus immitti, certe si eiusmodi essent illa, ut peccatum imputari necessario possit, consequens esset, neminem unquam peccati reum esse posse, quin in antecessum actus huius exercuerit; & si sic est; vel a peccatis excusandi erunt homines scelestissimi perditissimi; vel dicendum nunquam illos peccare, quin indeliberatos illos reos cognitionis, & boni affectus actus exercuerint.

Dietsi robor adder observatio, meo quidem iudicio, longe gravissima: quod nempe systema illud, quo ponitur Gratias sufficientes peccatoribus necessario concedendas esse, ut qui peccant peccatorum rei esse censeantur; omnem divinam Gratiae ideam Sacris in Litteris nobis datam omnino destrueret. Gratiarum, ut peccatum vitare mus necessariam praedicant Sacrae Litterae; isti Gratiarum suam sufficientem necessariam desistant, ut precemur. Legem sine Gratia occidere docet Apostolus, accedente Gratia vitam dare; isti vice versa, legem, sine Gratia sufficiente, occidere posse neminem dicunt; accedente tamen Gratia sufficiente, occidendi vim obtineri? Quid plura? Christum pro impiis mortuum scribit Apostolus, ut a peccatis liberarentur: Isti Christum pro impiis mortuum statuunt, ut Gratiarum illis promereretur, sine qua peccare non possent, & qua accepta infallibiliter peccant.

An non istud est Gratiarum sufficientem jocum nobis, ac ludum facere?

Ve.

Verum iniqui illi ad tanti absurdi excusationem, qui Gratia sufficienti destituitur, implendi praecipi, vitandique peccati impotentia laborat; fidei porro caput est, neminem peccare in eo, quod vitare non potest: qui ergo Gratia sufficienti sunt destituti peccare non possunt; aut si quae faciunt, quae sunt de genere peccatorum, non illis imputantur ad culpam & damnationem aeternam.

Argute profecto & erudite: gratulor ingenii felicitatem. At si quae peccatoribus illis demum accidit vitandi peccati impotentia, illorum ipsorum vitio, pravaque voluntate contracta est; si quae illis subtrahuntur Gratiae sufficientes, non nisi illorum vitio subtrahuntur: an non inde perpetram excusationem obtendent?

Tempus est, ut quotquot in sui Systematis probationem momenta congerunt, distincte resellamus.

PRAELECTIO VI.

Momenta contraria diluuntur.

DE induratis & obsecratis dum diximus, multis probavimus argumentis, eos Gratias sufficientibus esse destitutos, ut in eo fatali desperationis statu, nec penitere, nec divina adimplere mandata possint. Reliquum est in praesentia, ut opposita partis Momenta hinc inde congesta diluamus. Haec ad quinque capita revocantur.

Primum, quod difficillimum est, ex eo desumunt, quod ab Ecclesia definitum sit, Deum impossibilia non praecipere; at, inquirunt, si indurati & obsecrati Gratias sufficientibus essent destituti, Deus impossibilia praeciperet, cum tunc non haberent possibilitatem agendi; Nequit ergo dari status, in quo Gratias sufficientibus destituantur. Ut hoc Momentum, quod illis capitale semper est visum, diluere possimus, quaerendum est nobis, de quibus Ecclesia loquatur, cum definit, Deum non praecipere impossibilia, num scilicet de quibuscumque hominibus induratis & obsecratis loquatur, vel de aliquibus tantum. Porro ad rem hanc expendendam animum meum ipse converti; observavi, Ecclesiam de Iustis tantum hominibus definitivisse; nempe mandata Dei non esse viris iustis impossibilia; ceterum nil quicquam de induratis, & obsecratis hominibus statuisse.

Patet hoc ex ipsa Tridentini Concilii definitione Sess. 6. cap. 11. nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet); Dei praecipta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. En quid Synodus illa declarat.

Huius rei habemus in damnatione Janseii luculentissimum documentum. Inter enim alias propositiones quae ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatae fuerunt, hanc etiam Summi Pontifices condemnarunt: aliqua Dei praecipta hominibus iustis voluntibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque Gratia, qua possibilia fiunt. An autem impossibilia, vel possibilia sint induratis, & obsecratis, hoc non definitivum Ecclesia; imo si paullisper consideremus, & locum Janseii pensitemus, ex quo ea propositio petita fuit, Lib. 3. de Gratia Salvat. cap. 13. ubi habetur, docuisse Janseium mandata Dei esse impossibilia non tam iustis, sed etiam induratis & obsecratis, clare cognoscemus, eam partem hominum induratos indemnem Ecclesiam reliquisse; eam tamen Iustorum hominum partem sub anathemate condemnasse. Perperam itaque disputant, dum ea ex

Serry Tom. IV.

damnatione probare se posse putant, induratos, & obsecratos Gratias sufficientibus non esse destitutos.

Quibus addiderim ego. Mandata Dei dici possunt possibilia, & impossibilia vel secundum sese, vel spectatis viribus hominum. Si primo modo spectentur non sunt impossibilia, quia Deus non praecipit impossibilia, licet fieri possint impossibilia spectatis hominum viribus. Videtis ergo quomodo nutet duplici ex capite istorum opinatio.

Nihilofecius vim repetunt Adversarii ex quadam veteri cantilena. Ajunt enim; Fidei dogma est, Deum habere voluntatem salvandi omnes homines, Christum esse pro omnibus mortuum, ergo nulli hominum denegatam esse gratiam sufficientem. En tritam, solitamque cantilenam, contra quam pugnat Tridentinum Concilium; Hoc enim, Sess. 6. cap. 3. ubi definitivum Christum pro omnibus fuisse mortuum, statim subiungit: Etsi ille pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. En igitur quod nihil ex hoc ad sui systematis probationem extundere possunt.

Quod vero vulgo iactatur, habere Deum voluntatem salvandi omnes homines, probat, Deum secundum sese preparare universis Gratias, nec per hoc contingit, omnibus re ipsa conferre; nam contingere potest, ut cui voluntate antecedente Dei preparatae erant, ex voluntate dein consequente propter demeritum praecedentium peccatorum non conferantur.

Tertium est, ex quo praesidium petunt gratiarum sufficientium largitores, auctoritas Concilii Senonensis decreto fidei 15. In eo namque Concilio, postquam sacra illa Synodus definitivum, Gratiam esse omnibus necessariam, subiungunt Patres hi; licet ea gratiae necessitas humano non praedictet arbitrio, quia Gratia Dei semper hominibus praesto est.

Si tamen nos penitus advertamus, observabimus, futile esse, ac nullius momenti auctoritatem Concilii Senonensis, cum istud non fuerit, nisi Concilium Provinciale, ad quod septem Episcopi Senonensis Provinciae conveniunt; nec ipsius acta & decreta fuerunt ab Apostolica Sede confirmata. Id planum est in Congregationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus celebratis; ubi cum Gregorius de Valentia, & Arrubal vim facerent in sententiarum suarum probationem ex huiusmodi Concilii auctoritate, haec ab omnibus elisa fuit, atque rejecta.

Alterum petunt ex Scriptura Sacra momentum, ego sto ad ostium & pulso, inquit Deus Apocalypsis cap. 4. ex quo probant, nullum praeterire momentum, quo homines Gratias a Deo concessis non fruuntur.

Bene est. At Deus tamen non dicit eo in loco; sto ad ostium omni Momento & pulso. Adde etiam, Deum stare fortasse semper ad ostium, non quidem per gratias interiores, sed exteriores; cum nullum momentum sit, quo vel praeciptis, vel legibus, vel suppliciis homines non moveat. An autem indurati, & obsecrati Gratias etiam exterioribus destituantur, non disputamus.

Accedit & aliud, cui maxime fidem Adversarii, quod dudum definitum est, declaratumque tamquam erroneum; quod aliqui sit, qui quantumdiu vivit in praesenti vita salvari non possit; ex quo inferunt, homines quamdiu vivunt habere Gratias, quibus salutem aeternam possint obtinere.

At haec consecutio falsissima est; nam illud quod definitum fuit, est intelligendum de Gra-

D d tiis,

tis, quas accipere homo potest; & ideo nullus est, qui salvari nequeat, quia nullus est, qui Gratias a Deo accipere non possit; Nos autem disputamus, non an indurati, & obsecrati possint recipere Gratias sufficientes, sed an re ipsa recipiant; unde ex eo nil in sui systematis Gratiam colligere possunt Adversarii.

Restat unum expediendum Momentum. Inter induratos & obsecratos multi sunt baptizati, hi porro facti sunt membra Christi, ergo Christus aliquorum induratum & obsecratorum hominum caput est: Porro caput insit in Membra, ergo etiam Christus insit in induratos & obsecratos, qui saltem sacro baptisate initiati sunt. En alteram vulgarissimam cantilenam. Deo, ultro citroque concedo, dari aliquos ex induratis & obsecratis hominibus, qui baptizati sint, quorum Christus factus sit caput; ad illud tamen, quod insuat, in quo, non semper vitali spiritu insuere; proindeque cum Gratia vitalis quidam spiritus sit, sequitur concludendum, non semper praesto esse hominibus induratis. Liqueat hoc in corporibus naturalibus; Caput enim non semper insit motu vitali in membra corporis physici, maxime quando membra mortua sunt, ac veluti a corpore discissa. Ita cum indurati & obsecrati sint propter scelera veluti discissi a capite Mytico Christi, consequens est, Christum in eos non insuere, factus est iis, accepisse Gratias, cum uniti erant Capiti Christo, quam quod iis praesto illis sint, dum a capite Christo discissi sunt. Haecenus de induratis & obsecratis, Reliquum est ut videamus an saltem iustis, instante praecipio, desint aliquando istae Gratias sufficientes; quod in sequenti praestabimus.

PRÆLECTIO VII.

Quoties hominibus iustis instat obligatio alicujus implendi praecipii, toties iisdem praesto esse Gratiam, demonstramus.

EGimus in antehabitis contra liberales nimis gratiarum sufficientium largitores, qui eas omnibus & singulis, quacumque occasione, & ubique, a Deo concedi dicebant. Ad alios nunc, qui vice versa parci sunt adeo ac tenaces, ut eas non semper iustis hominibus a Deo concedi sultineant, mentem & animum convertemus.

Janseus itaque hac proxima aetate in eam sententiam venerat, dum dixit, *Iustis volentibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia Dei praecipia: desit quoque Gratia, qua possibilia sunt.* Iccirco nos hac in re non quaeremus, an semper iustis, quacumque occasione, & ubicumque sufficientes Gratiae concedantur; nam certum est, nequidem iustis semper praesto esse Gratiam; quia cum haec Gratiae viales sint quadam intellectu illustrationes, & voluntatis excitationes, certius est semper, & ubique huiusmodi illustrationes, & excitationes non assurgere; quando scilicet iusti aliis negotiis distracti sunt. Quaeremus solum, an haec Gratiae denegentur iustis hominibus, dum instat his obligatio alicujus adimplendi praecipii.

Nos ergo, ut Veritatem Catholicam tueamur, sartam rectamque faciamus, statuimus, quoties hominibus iustis instat obligatio alicujus implendi praecipii, toties praesto esse gratiam. Quod ut asseram, movet me maxime Apóst. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ex quibus Apóstoli verbis patet, hominibus iustis semper praesto esse Gratias, cum instat

obligatio alicujus adimplendi praecipii; Alias tentarentur hi supra id, quod possunt.

Accedit & aliud gravius momentum. Si dum instat hominibus iustis obligatio implendi praecipii, desisset iis ex parte Dei auxilium sufficientes, praecipium illud implere impossibile esset: nam Gratia sufficientes ea dicitur, quae confert potestatem adimplendi divina mandata; Hoc porro dicendum non est, cum Sacris in Litteris habeatur, & ab Ecclesiae definitionibus sancitum sit, praecipia iustis hominibus numquam esse impossibilia. Hoc constat aperte a Definitione Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 11. *de Justificatione: nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei praecipia homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Et illa Janseii Propositio, quae habetur Lib. 3. *de Gratia Christi* cap. 1. in qua asserbat, aliqua praecipia iustis volentibus & conantibus esse impossibilia, damnata fuit ab Innocentio X. & Alexandro VII. & tanquam haeretica, & tanquam blasphemata. Primo quia Scripturae Contraria; secundo quia irrogat injuriam Deo. D. Augustinus, quem ducem Janseus semper habere perperam gloriatum est, *Lib. de Natura & Grat. cap. 26.* oppositum docet: ait enim: *Deus, cum per mediatorum Dei & hominum hominem Jesum Christum spiritualiter sanat egrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium; & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pio semper, iustaque vivatur.* Ex quibus Augustini verbis liquet aperte, hominibus iustis, dum instat Divini adimplendi praecipii obligatio, semper Gratiam praesto esse.

Hoc idem docet eodem Capite; ubi ait, illud esse discrimen inter Medicum Humanum, & Divinum; quod Humanus postquam sanavit aegrotum, ipsum alimentis sustentandum relinquit; Divinus vero cum semper post restitutum salutem sustinet, retinet, nec dimittit, nisi prius dimittatur.

Accedunt etiam in hujusce Catholice veritatis confirmationem peremptoria momenta, quibus in antehabitis Tractationibus contra liberales hujusmodi gratiarum largitores usi sumus.

Iccirco probavimus nos, induratos, Infideles, & pueros sine baptisate ex hac vita sublatos, esse Gratias sufficientibus destitutos, quia Gratias iisdem negat Deus vel propter demeritum Originalis peccati, vel propter aliqua praecedentia scelera. At si sic est, ubi sermo fit de Justificatione, nulla ratio est, propter quam possit eis Deus denegare Gratiam. Non peccatum originale: cum hoc suscepto baptisate deletum sit. Non praecedentia peccata; quia per poenitentiam ea diluerunt. Cum igitur nulla ratio inveniri possit propter quam eis Deus negare Gratias possit, concludendum est nobis, Gratias semper iisdem praesto esse, dum instat alicujus implendi mandati obligatio.

Confirmat hoc ipsum ratio altera decretoria, quam alicubi insinuat D. Augustinus & D. Thomas: Ratio, cur Deus non denegat iustis hominibus Gratiam, haec est; quia nempe inter Deum & iustos inita est amicitia, cum hi sint per Gratiam sanctificantem & charitatem iustificati; quoties ergo amicitia contracta est, amicus sincerus (cujusmodi est Deus) amicum non deserit, nisi prius deseratur ab eo. Violaret ergo Deus strictissimas amicitiae leges, si Gratias iustis hominibus denegaret.

Ex hac tamen ratione nascitur aliquibus scrupulus, quem eximere necessum est, nequid inde in sui erroris praesidium Janseianum quoquo modo colligere

ligere valeant. Deus, ajunt illi, etiam si Sufficientem Gratiam iustis hominibus denegaret, non ideo amicitiae Leges violare censeretur, quemadmodum eadem Leges non violat, dum iusto subtrahit in gravissima tentatione Gratiam suam Efficacem, qua delictus certissime labitur in peccatum; ut contigit Apóstolorum Principi, cui si Deus ea in tentatione, qua victus fuit, Efficacem Gratiam contulisset, certo certius victoriam retulisset. Quemadmodum itaque amicitiae cum Petro inita Leges non violavit, tamen si Efficax Auxilium, quo solo Christi negationem vitasset, ipsi subtraxerit; ita amicitiae Leges cum iusto quolibet violare Deus minime dicendus est, quamvis instante praecipio servandi obligatione Sufficiens Auxilium eidem denegat.

Haec, Viri Theologi, ut fatear quod res est, salebrosa semper difficultas fuit: an scilicet prius Homo peccet, quam ei Deus Gratiam Efficacem denegat; vel contra Deus prius denegat Gratiam, quam peccatum Homo committat. Mirum est, quam multa, variaeque diverticula excogitarint Theologi, ut nodum hunc expedirent. Sunt enim, qui dicant, admissionem peccati, & Gratiae denegationem in vario genere causae sese praecedere, ac subsequi. In genere causae materialis, inquit, praecedere patrationem peccati; in genere causae efficientis praecedere negationem Gratiae: quemadmodum dum Ventus ingreditur in cubiculum per fenestram, quaeri potest, an prior sit introitus Ventis, an verius apertio fenestrae? Ajuntque isti, Ventum priorem esse in genere causae efficientis, fenestrae vero apertionem in genere causae materialis.

Verum non advertunt illi, aliud esse Venti ingressum, aliud Ventus ipse. Ventum in genere causae efficientis priorem esse ipsa fenestrae apertio, bene est, non ambigimus; ingressum autem Venti prioritatem hanc praesferre, omnino negamus; nullius enim causae prioritate concipere possumus Ventum, ut iam ingressum, priusquam aperitur fenestra, per quam solam ingredi Ventus potest.

Quare missis hisce de genere causae materialis & efficientis distinctionibus, quae Philosophos magis, quam Theologos, decet: Irepono ego, Deum, dum iusto peccanti denegat Efficacem Gratiam, non propterea violare amicitiae Leges; quia nimirum eam illi subtrahit, non propter praecedentia mortalia, sed propter venialia peccata. Habemus in Petro ipso Exemplum accommodatissimum. Negans Christum Petrus incidit in peccatum, ac proinde Deus ipsi Efficacem Gratiam subtrahit. Si namque illam ei contulisset, Christum certo certius non abnegasset. Deus tamen Gratiam Petro subtrahit ob praecedentium peccatorum venialium demeritum, quae per multa in antecessum eum admisisse haud quaquam ambigimus. Commisit enim veniale peccatum primo in negligentia orandi: nam semel & bis admonitus, ut vigilaret, oraret, ne intraret in tentationem, ipse nihilominus somno immoderate indulgit. Commisit itidem veniale peccatum ex quadam elatione, quae sese Apóstolis ceteris praetulit, dum Christo temere respondit: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor: Matth. Cap. 26.* quasi de se plus nimio supra ceteros fideret. Admisit etiam veniale peccatum in aurali mortali amputatione; quamquam enim a mortali excusatum eum velint, quia Mysterii ignarus id in Magistri sui defensionem praestiterat, quia tamen imprudenter se gessit, non expectato Christi assensu, a veniali saltem excusari omnino non potest. Peccavit etiam venialiter a Magistro suo recedendo, Eumque ob animi puls-

Serry Tom. IV.

lanimitatem deferendo, quod sibi quoque periculum vitae imminere pertimerit, si Christum proximae sequeretur, ejusque sese Discipulum palam manifestaret: quae quidem communis fuit ceterorum Apóstolorum animi affectio. Peccavit tandem venialiter, dum se sidentius, quam par fuerat, Domesticis Principis Sacerdotum immiscuit, occasionemque praebuit Ancillae, ut repetitis interrogationibus eundem impeteret; quibus tandem adactus, *se Hominem non novisse sacrilege falsus est.*

Neque obest dum dixerit: si Deus ob veniale peccatum, involatis utique amicitiae Legibus, Gratiam denegat Efficacem, quare, iisdem quoque salvis omnino Legibus, sufficientem etiam denegare non poterit? Latissima namque disparitas est: denegata Efficax Gratia, remanet adhuc agendi potestas; quae tamen, negata sufficienti, nequaquam remanet; adeoque in primo casu amicitiae Leges non violat Deus, quia id quod praecipere, possibile semper Homini foret; in altero autem eas rescindere censeretur, quia Iustum & amicium suum ad aliquid obstringeret, quod ei impossibile profus evaderet; nec impertiri omnino, quo possibile fieret. His etiam addiderim venialia peccata non ejus esse deformitatis, ut penam illam gravissimam mereantur, quae in sufficientium Auxiliorum privatione consistit. Haec etenim poena, ut in superioribus dictum fuit, gravissimis duntaxat criminibus congruit, ac seculissimis peccatoribus, quos peccandi consuetudo obduravit, & excacavit, tantummodo infligitur.

Probata igitur, ac bono in lumine posita, circa sufficientem Gratiam, Catholica veritate; solvenda remanent de Gratia efficaci celeberrimae controversiae, de quibus, ut novam difficillimam disputandi materiam praebent, ita distincte ac peculiariter in sequentibus praestabimus.

PRÆLECTIO VIII.

De Gratia Efficacis necessitate. Et num necessaria sit homini ad veritates supernaturales cognoscendas?

DE Gratia efficaci, deque ejus necessitate & ad verum cognoscendum, & ad bonum operandum, quantum Theologi officium postulat, pro modulo nostro disputaturi, agemus loco primo de hujusce Gratiae necessitate ad veritates cognoscendas; dein agemus de ipsius necessitate ad bona opera peragenda. Dum porro de necessitate Gratiae ad cognitionem veri sermonem institui-mus, intelligendum est primo de cognitione Veritatum supernaturalium, quae ad Fidem pertinere dicuntur.

Veritates itaque supernaturales duobus modis a Theologis distinguuntur: Aliae sunt quandoque supernaturales in se ipsis, suntque simul & semel supernaturales etiam in medio, & per medium in quo cognoscuntur: aliae sunt quidem supernaturales in se ipsis; in medio tamen, in quo cognoscuntur, non nisi naturales sunt. Afferamus exemplum. Deum esse Trinum, & hominem factum, supernaturales Veritas est. Dum Teum Trinum & hominem factum per Divinam revelationem cognoscimus, non tam supernaturales veritas est in se, sed etiam in medio, cum revelatio Divina fit supernaturalis. At si forte contingat, Deum Trinum, hominemque factum cognosci non ex vi Divinae revelationis, sed alio titulo, ut nimirum praestetur assensus, naturalis veritas est ratione media, quo cognoscitur; quod patet clarissimo exemplo. Demones quandoque credunt, norunt,

D d 2 assen-